



**R.P. Petri Leurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa
Canonica Deductus**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1708

514. Quam pænam incurrat Capitulum vel alius ejus loco corcedens
dimissorias non arctatis intra primum annum vacantiaë.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)

set ille presentatus non clericus. Item cui solum promissa presentatio (idem est de collatione) quamprimum fuerit clericus, adhuc arctatus dicitur ratione beneficii recipiendi juxta Ventrigl. *loc. cit. n. 38.* qui pro hoc citat Meroll. *tom. 3. d. 7. c. 7. n. 79.* testaturque hinc S. Congregationem sub die 13. Jan. 1594. rescripsisse Episcopo Squillacensi, Vicarium in sede vacante posse literas dimissorias concedere etiam infra annum laicis, qui expectant presentari per patronos ad aliqua beneficia, quam eandem declarationem S. Congreg. recitat Barbof. *loc. cit. n. 118.* cum quo tamen non usque adeo bene conciliari videtur, quod tradunt Barbof. *cit. n. 127.* Garc. *loc. cit. n. 102.* Ventrigl. *iple cit. n. 37.* citans pro hoc Meroll. *ubi ante n. 80.* nimirum non dari arctatum ratione beneficii recipiendi, cui quis vult resignare beneficium requirens actu ordinem, quo ille caret, eo quod hoc sit merè voluntarium; non enim minus voluntaria est promissa presentatio, quam promissa resignatio: neque magis per promissam presentationem, quam per promissam resignationem jus ad tale beneficium acquiritur. Ille tamen ex sententia communi arctatus non est ratione beneficii recipiendi, qui electus in concursu ad beneficium curatum requirens sacerdotium, cujus collatio facienda à Papa; quia in tali tempore faciendæ collationis non requiritur actu sacerdotium. Garc. *n. 101.* & ex eo Barbof. adeo que jam illud ipsum procedit, etiam si per talem electionem diceretur jus aliquod acquisivisse ad tale beneficium. facta tamen illi collatione jam arctatus erit ratione beneficii accepti.

9. Porro illud hic notandum, non posse Capitulum sede vacante, ejusve vicarium concedere infra annum dimissorias arctatis alia de causa quam beneficii, ut si quis haberet necessarium promoveri ad obtinendum gradum in theologia, & similia, ad qua forte requireretur actu clericatus alterve ordo. Ventrigl. *loc. cit. n. 4 D.* citans Sanch. *opus. l. 7. c. 1. dub. 20. n. 38. P. Thefaur. in pr. eccles. p. 2. v. ordo. c. 19. vers. amplia secundò.*

Quaestio 513. Per quem Capitulum sede vacante has dimissorias concedere possit, an per solum vicarium suum, an etiam per seipsum, & in specie in casu, ubi omnes Canonici diffugerunt aliò?

R Esp. ad primum, dimissorias in casibus, ubi id licet, concedere non posse Capitulum per seipsum, sed spectare ad ejus vicarium tradit Ventrigl. *loc. cit. n. 35.* citans Aldan. *in compend. can. resolut. tit. 3. n. 5.* Item Barbof. *loc. cit. n. 120.* testans, sic Vicario Capitulari Neapolitano rescripsisse S. Congregationem prepositam negot. Episcop. & regular. sub die 12. Jan. 1604. Non posse tamen Vicarium Capitularem nec arctatis intra annum, nec etiam alias post annum concedere dimissorias sine speciali Capituli commissione, habet Ventrigl. *n. 42.* citatis Pavon. *de potest. Capit. sed. vac. c. 10. p. 2. n. 17.* Mandos. *ad reg. 24. cancell. g. 6. n. 9.* Gurtierrez *qq. can. l. 2. c. 12. n. 22.* P. Thefaur. *in pr. eccles. p. 2. v. ordo. c. 19.* Barbof. *loc. cit. n. 129.* ubi is, speciale hoc mandatum conjecturis probari, quarum multas adducit.

2. Ad secundum, in casu, in quo potest Capitulum concedere dimissorias, si Canonici v. g. propter hæreses (idem videtur, si propter alia similia,

puta pestem, bella &c.) dispersi sunt, & nequeant convenire sine difficultate (si neque sit Vicarius Capitularis) sufficit habere literas dimissorias ab uno aliquo ex Canonici Capitularibus ecclesie cathedralis. Et sic quoque sufficit, habere literas dimissorias à residentibus capitularibus, etiam si unus duntaxat resideret. sic refert Garc. *loc. cit. n. 93.* in fine decisum à S. Congregat. Concilii super *c. 10. sess. 7.* ejusdem Concilii.

Quaestio 514. Quam panam incurrat Capitulum, vel ejus loco Vicarius sede vacante concedens dimissorias non arctatis intra primum annum vacantie, & sic contra, quod statuit Tridentinum. sess. 7. c. 20.

R Esp. Incurrit panam interdicti, & sic ordiati (nempe in vim talium dimissorium) si in minoribus fuerint constituti Ordinibus, nullo gaudent privilegio clericali, præsertim in criminalibus. constituti verò in majoribus ipso jure incurrunt suspensionem ab executione ordinum ad beneplacitum futuri Episcopi. Fagn. *in c. significasti. de off. archid. n. 8.* Barbof. *loc. cit. n. 117.* & à *n. 130.* Garc. *n. 91.* Ventrigl. *n. 46.* (qui etiam remittit ad P. Thesaurum *in pr. eccles. loc. cit.* ubi is de his panis multa refert. & Bonacin. *de suspens. in particulari q. 1. p. 11.*) juxta quod iisdem ferè verbis hanc panam statuit Tridentinum *loc. cit.* Quam panam impositam iis, qui contra decretum illud Tridentini à Capitulo sede vacante dimissorias impetrant (non verò impositam panam illam interdicti impositam Capitulo, ut Fagn. *loc. cit. n. 9.*) postmodum idem concilium *sess. 23. c. 10.* extendit ad illos, qui eandem literas non à Capitulo; sed ab aliis quibusvis in jurisdictione episcopali succedentibus (puta ab ejus Vicario aliòve administratore) obtinerent. Fagn. Garc. Ventrigl. *ll. cit.* Hujusmodi verò concedentes literas illas dimissorias ab officio, & beneficio per annum ipso jure suspendi addit Garc. & id notari inquit à Majolo. *de irregular. l. 4. c. 2. n. 3.* Salcedo *in pract. crimin. Bernard. Diaz. c. 25. v. sine licentia.*

2. Circa has penas notandum primò. Quòd si Vicarius Capituli alicujus Collegiatæ (contra quod Capitulo collegiatæ, & cuius alteri prohibetur dare dimissorias per Trident. *cit. sess. 23. c. 10.*) concederet istiusmodi dimissorias, ipsum Capitulum non incidere in panam dicti interdicti. Sequitur ferè ex dictis, & quidem à fortiore Fagn. *loc. cit. n. 9.* qui etiam *n. 10.* addit, quòd esto Vicarius talis ecclesie collegiatæ comprehendatur in prohibitione, non tamen videri illum incidisse in panam *c. 10. sess. 7.* eo quòd illud extensum tantum sit per *c. 10. sess. 23.* ad Vicarios Cathedralium.

3. Notandum secundò, quòd licet per Bullam Sixti V. contra male promotos ordinati cum literis dimissoriis, seu licentia Capituli sede vacante contra dictum Tridentini decretum erant absolute ipso jure suspensi, & absolutio Romano Pontifici reservata; illa tamen Bulla jam per Clem. VIII. ad terminos sacrorum Canonum & dispositionem Tridentini redacta sit Garc. *loc. cit. n. 92.* & fufius *p. 2. c. 5. n. 70.* Unde jam pana illa lata per Tridentinum

Tridentinum contra Capitulum, vel ejus administratorem sede vacante concedentem literas dimissorias in casu non permisso, non reservatur amplius Papæ; sed ejus absolutio dari potest per Episcopum successorem. Pignat. tom. 3. consult. 8. n. 4. Ventrigl. loc. cit. n. 48. citans P. Thesaurum ubi ante, qui etiam addat, non posse ab illa absolvi simplicem confessorium.

4. Notandum tertio, pœnam illam statutam concedentibus dictas dimissorias contra dictum Tridentini decretum adhuc ab iis incurri, etiam si is, cui ea concessa fuerunt, iis usus non fuerit; quia actus fuit perfectus quod ad concedentem, per quem non stetit, quod minus concessionarius iis uteretur. Barbof. loc. cit. n. 130. citans Garciam in addit. ad tract. de benef. p. 5. c. 7. n. 92. Ventrigl. n. 46. & 49. citans insuper Molin. de just. tom. 6. tract. 5. d. 11. num. 4.

5. Notandum quarto, quod pœna illa in re dicti sit lata sententia, pro ut colligitur ex verbo illo, quo utitur Concilium subjacet, quod est lata sententia. Ventrigl. n. 47. ex Thesaur. loc. cit. Pignat. tom. 3. consult. 8. n. 3. Pœnam verò privationis privilegii clericalis non incurrit ordinatus in minoribus ante Judicis sententiam juxta Constitutionem Urbani VIII. adversus malè promotos. Barbof. loc. cit. n. 131. Ventrigl. cit. n. 47. Dian. p. 8. tract. 4. resol. 44. citans Navar. conf. 20. de tempor. ordinat. in prima editione. Addunt quoque Barbof. & Dian. rationem, quod nimirum Concilium dicat: nullo gaudeant privilegio. id autem gauderent, cum sit futuri temporis, non deoret pœnam ipso jure impositam, sed imponendam juxta doctrinam communiter receptam. Unde jam etiam ordinatus taliter potest habere, & obtinere beneficium, donec per sententiam hujusmodi privilegium clericali priverit. Dian. loc. cit. citans Rodriq. in sum. tom. 1. c. 71. n. 20. Barbof. n. 132. Ventrigl. n. 37. citantes Sanch. de matrim. l. 7. d. 46. n. 18. Quarant. in sum. Bullar. v. capit. sede vacant. q. 10.

Quæstio 515. An dimissoria ritè & legitime concessa per Capitulum sede vacante expirent per ingressum novi Episcopi?

Resp. negativè Ventrigl. loc. cit. n. 43. Barbof. jur. eccl. l. 1. c. 32. n. 129. citans Quarant. ubi ante, vers. secundò dubitatur. Ledesm. in sum. p. 1. de sctam. ordin. c. 8. concl. 4. Gonzal. ad reg. 8. cancell. gl. 12.

n. 37. Monet. de commut. ult. volunt. c. 10. n. 179. Molin. ubi ante n. 4. Curtür. can. qq. l. 2. c. 17. n. 12. qui tamen consulat ordinatoribus, ut si tempore presentationis dictarum dimissorias coram eis sciverint, novum Episcopum possessionem Episcopatus accepisse, vel in Episcopatu adesse, illas non admittant, nisi revalidata, vel noviter à successore concessa producta fuerint, vel ab ejus officiali speciale ad id mandatum habente. Quod tamen consilium videtur supervacaneum, si dicta dimissoria per ingressum novi Episcopi non expirent, sed in robore suo permaneant. Ratio responsionis est communis; quod gratia semel concessa non expiret morte concedentis, juxta c. si super gratia, de off. deleg. in 6. c. cui nulla, de prebend. in 6. Illud verum videtur, quod ibidem ex Rebuff. in pr. benef. tit. de formalit. dimissorias. n. 44. & Campanil. rub. 6. c. 8. n. 35. tradit ibidem Barbof. posse à novo Antistite revocari per edictum omnes, & quascunque dimissorias à prædecessoribus Episcopis, & à Capitulo sede vacante concessas; secus tamen est de concessis à Papa, vel Nuntio Apostolico.

Quæstio 516. An dum Episcopus defunctus est simul Princeps Imperii, Capitulum sede vacante comparere possit in comitiis imperialibus?

Resp. affirmativè Pirrhing. ad tit. de major & obedient. n. 52. §. his addendum ubi: licet Capitulum sede Episcopali vacante admittatur ad comitia Imperialia; non tamen Capitulum v. g. ecclesie Archiepiscopalis admittitur ad electionem Imperatoris, aut regis Romanorum; cum hoc jus eligendi quibusdam Archiepiscopis Germanie ratione dignitatis eorum ex speciali jure, ac privilegio competat, ut ex Aromao de comitiis tradit Laym. in c. unicam. ne sed. vac. in 6. in his autem, quæ Episcopo ex speciali jure competunt, non succedit Capitulum; quia succedit in jurisdictione & administratione Episcopi propter unionem, quæ est inter ipsum & Episcopum; hæc autem unio non intervenit secundum ea, quæ Episcopo jure, & privilegio speciali, & veluti extrinseco, & extraordinario competunt. Honorius ab Axel. in sum. decretal. in cir. rit. ne sede vac. n. 7.

